

Andreas Hoierus Balthasar Jawert

Part. Tert. Axiom. Disputatio Ultima, De Axiomatibus Relat. Actionis Et Passionis

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73021673X>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1650

Andreas Hoier Praes

Balthasar Jawert Resp.

2

PART. TERT. AXIOM.
DISPUTATIO ULTIMA;
DE
AXIOMATIBUS
RELAT. ACTIONIS ET
PASSIONIS,

Quam,

D. O. M. A.

Consensu Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ,

SUB PRÆSIDIO

M. ANDREÆ HOIERI, Cimbri,


Publicè tuebitur.

BALTHASAR JAWERT, Lubecensis.

Habebitur in Audit. Maj. Jul. 10. a

ANNO ERÆ CHRISTIANÆ

MDCCCL.



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typogr.

(21)

SILLABUS AXIOM.

Disput. Ult. part. 3.

1. Relata possunt habere contrarietatem.
2. Relata suscipiunt magis & minus,
3. Relata sunt reciproca.
Relata dicuntur ad convertentiam
4. Relata sunt simul.
Positio relatorum unò, ponitur & alterum.
Relatorum mutuum est iter, mutuus responsus.
Relatum cognoscitur per correlatum.
Cognitio relatorum unò cognoscitur & alterum,
Relata se mutuo ponunt.
5. Relata à se mutuo dependent.
6. Fundamentum saepe manet Existentiis relationibus
7. Relatio non incurrit in sensu.
8. Actiones sunt singularium.
9. Actio & passio non differunt realiter.
10. Actio & passio recipiunt contraria.
11. Actio & passio suscipiunt magis & minus.



Ax. I.

Relata possunt habere contrarietatem.

Υπάρχει, inquit *Philosophus lib. categ. c. de relat. εναντιότης*
 εν πῖς πρὸς π. Cum quibus tamen pugnare videntur,
 quæ paulò antè *cap. de quant.* dixerat, cum ait: ὁ μὴ
 ἐστὶν αὐτὸ καὶ αὐτὸ λαβῆναι, ἀλλὰ πρὸς ἑπεὶ ἀναφέρεται, ὡς
 αὐτὸ ἐστὶν τῆσδε πῖ ἐναντίον; *Collegium Complutense disputat. Lo-*
gic. 14. de relat. quest. ult. communem putat esse Inter-
 pretum consensum cum *Averroë* & aliis Antiquis, quod
 habere contrarium relationi non conveniat secundum
 se, sed ratione fundamenti, quando est qualitas. Ratio-
 nem addit *Cajetanus*, quod ad qualitatem per se detur
 motus, non autem ad relationem. Nobis videtur ἔ
Svaretzij disput. Metaphys. 47. sect. 18. n. 2. & Conimbricensis
Colleg. explicat. cap. 7. de relat. prænotandum, Aristotelem
 hanc regulam non tam ex suâ sententia formasse; quàm
 ut consequens ex prima illa & recepta relatorum defi-
 nitione eliciuisse: πὸ πρὸς π enim nuncupat non modò,
 ὅσα αὐτὴ ἀπερ ἐστὶν ἑτέρων εἶναι λέγεται, verùm etiam, quæ ὅπως
 ἄλλως πρὸς ἑπεὶ dicuntur, adeoq; includit suæ descriptio-
 ni tam relata καὶ πὸ λέγεται, sive secundum dici, quàm ea,
 quæ sunt καὶ πὸ εἶναι, sive secundum esse. His observatis
 facilè est apparentem istam contradictionem tollere.
 Si enim de relatis secundum dici canon intelligatur, uti-
 que rectè se satis habet, quoties fundamentum eorum
 è qualitate non omni, sed contrarium recipiente desu-
 mitur. Si verò de iis relatis, quorum totum esse in respe-

Su ad aliud consistit, loqui velimus, regulam merito ne-
gamus. Militant pro hac explicatione exempla, quæ
Philosophus cap. de veritat. appofuit: docet enim virtutem
adversari vitio, ignorantiam scientiam; at duplo, triplo,
aliisq; hujus generis nihil contrariari. Labet hic adjicere
explicationem, quam habet *Cl. Scheiblerus Metaphysic. lib. 2.*
cap. 9. art. 3. tit. 7. vocem contrarietatis accipi vel physicè,
quando repugnantiam unius contra aliud significat,
adeoq; in actione & passione ad invicem consistit; vel
Logicè & Metaphysicè, quum sumitur pro propositio-
ne eorum, quæ *Ciceroni* adversa dicuntur. Priori modò
sumptò vocabulò relatis contrarietatem denegat; po-
steriori vero eam iis adsignat; modò æstimetur una re-
latio ad aliam diversi ordinis.

AX. II.

Relata suscipiunt magis & minus.

Canonem hunc universalem non esse ex *Aristotele*
perspicuum est, cum l. d. ita infit: ὁμοίων μᾶλλον, καὶ ἀνόμοιον.
μᾶλλον καὶ ἥττον λέγεται, καί ἴσον καὶ ἄνισον (sive ut *Simplicius*
inavult legere ἀνισοτατέρον) μᾶλλον καὶ ἥττον λέγεται, ἐκατέρω αὐ-
τῶν πρὸς τι ὄν. πὸ, πὲ γὰρ ὁμοίων, πῶς ὁμοίων λέγεται· καὶ τὸ ἄνισον,
πῶς ἄνισον, οὐ πάντως ἢ πᾶ πρὸς τι ἴσως δέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἥττον.
πὲ γὰρ διπλάσιον ἔ λέγεται μᾶλλον καὶ ἥττον, διπλάσιον ἔδὲ τῶν ποί-
των ἔδεν. *Complut.* idem dicendum esse de hac proprie-
tate, quod de priori dicebant, arbitrantur; quod scili-
cet in rigore loquendo relatio secundum se non susci-
piat magis & minus; sed tantum ratione fundamenti,
quando est qualitas. Et hæc, dicunt, est communis senten-
tia *Expositorum cum Averroë*. Pro qua videri possunt *D.*
Thom. 12. quest. 82. art. 4. Caj. in hoc cap. Soto ibid. q. 1. ad 4.
C. S.

& S. AZAUXO S. *Metaph. ar. 10.* & alij, cum quibus etiam
 faciunt *Simplicius, Ammonius, Boetius alij*, ad hunc locum.
 Videtur tamen hanc interpretationem manifestò re-
 pugnantem textui *Aristotelis* modò allegatò; hic n. inter ex-
 empla relatorum, quæ intenduntur & remittuntur, nu-
 merat æquale & inæquale; quorum fundamentum est
 quantitas, quæ magis & minus non suscipit; ut constat
 ex *axiom. 6.* proximè superioris disputationis. Rectius
 itaq; autumamus responderi cum *Fonseca*; cujus verba
 S. *Metaphys. cap. 15. q. 5. sect. 2.* hæc sunt quod relata recipiant
 magis & minus, id non provenit ex multarum relationum unione
 in unam totalem relationem, cum qualitas qualibet nil magis si-
 milis sit aut dissimilis; si pluribus qualitatibus sit similis aut dissi-
 milis, quam si uni tantum: sed provenit ex eo quòd fundamenta
 magis unum aut magis diversa sunt. Inde enim non sequitur re-
 latio majoris similitudinis aut dissimilitudinis. Verum hoc pactò
 major similitudo aut dissimilitudo non est relatio aliqua constat a
 ex pluribus relationibus minoris similitudinis aut dissimilitudinis;
 quia relatio minoris similitudinis aut dissimilitudinis non perma-
 net cum relatione majoris, sed perit succedente illa: cum tamen
 gradus præcedentes, ex quibus constat accidens, quod intendi-
 tur & remittitur simul permaneat cum sequentibus. Accipi
 igitur debet phrasis magis & minus suscipere non in ri-
 gore philosophicò; sed latè, ut nempe relativis tribuatur,
 quatenus denominantur magis & minus talia per acces-
 sum vel recessum ab uno perfectò terminò non per in-
 tensionem aut remissionem, ut facile liquet ex iis, quæ
 dicta sunt. Conf. *soar. disput. Metaphys. & sect. dd. n. 3. seqq.*
Colleg. Conimbric. d. 1.

Relata sunt reciproca

Alii ita regulam efferunt. *Relata dicuntur ad conversionem* Manifestum est, sermonem heic non esse de conversione propositionum: de qua lib. *Ἐπί ἴσμων* agitur; aut terminorum, qui in casu recto de se invicem prædicatione mutuâ affimantur: sed dici ad convertentiam vocant, cum unum relativum explicatur per ordinem ad aliud in obliquo positum, vel quomodolibet illius esse asseritur, sive, ut loquitur *Svaretz*, cum secundum aliquam denominationem unum denominatur cum adjectione alterius & e converso. Unde & hæc proprietas, ut idem ibidem monet, magis pertinet ad modum loquendi de relationibus, quàm ad rem; ita tamen ut fundamentum in re non negatur. Potest autem, si hõc modõ phrasis intelligatur, omnibus relatis prædicamentalibus, transcendentalibus, rationis, iisq;, quæ secundum dici sunt, attribui: nam v. g. Pater est filii Pater, Creator est creaturæ creator, genus est speciei genus, ala est alati ala &c. Quod si verõ nonnunquam usu veniat, ut alterum relatorum non convertatur, id inde provenire docet *Aristoteles*, quod non rectè adsignetur, οἶον. inquit, τὸ πρὸν εἶναι διποδοθεὶ ὄρνιθι. *Ἐπι ἴσμων* ὁμοίως ἀντιπρὸς ὄρνιθι πρὸς πρῶτον διποδοθεὶ, πρὸν ὄρνιθος: & τὸ ἢ ὄρνιθι, καὶ τὸ πρὸν αὐτῷ λέγεται, ἀλλὰ ἡ πρῶτον ἐστὶ πολλῶν τὸ καὶ ἄλλων πρὸς ἐστὶν. ἂν οὐκ εἰσὶν ὄρνιθες. ὥστε εἶναι διποδοθεὶ οἰκείως, καὶ ἀντιπρὸς οἶον τὸ πρὸν, πρῶτον πρῶτον, καὶ τὸ πρῶτον πρὸ πρῶτον. Nec obstat, quod sæpe contingat, ut ab altera parte vocabula deficiant. fingere enim ea licet, quotiescunq; necessitas flagitat, εἶναι τὸ μὴ κέρμιον ἢ ἄγομα, πρὸς οἰκείως ἂν διποδοθεὶ ὀνομαστοποιεῖν ἀναγκάσθων

Ax.

Relata sunt simul.

Tres simularis modos è *postprædicamentis Aristos.* adducunt Dd. quos sequentibus versiculis comprehenderant :

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est,

Quæ convertuntur dicimus esse simul.

Suntq; simul species genus unum distribuentes :

At generis causâ, non ratione sui.

De ultimo hæc non disquiritur, adeoq; in ejus locum, in præsens sufficimus similitudinem, ut loquuntur, cognitionis; quippe quæ in controversiam venire potest. Ut verò debitis limitibus canonem nostrum circumscribamus, distinguimus 1. inter relata prædicamentalia & non prædicamentalia, 2. inter eadem considerata materialiter, sive secundum esse absolutum; & formaliter, sive respectivè spectata. His observatis 1. dicimus relata prædicamentalia formaliter sumpta esse simul tempore & naturâ, sive converti secundum essendi consequentiam. Nec obstat, quòd *Aristoteles* relata non prædicamentalia non sequestraverit; cum non modò satis manifestò se explicet, quando ait, axioma nostrum *Ἐπὶ τῶν ὁμοίων ἀληθὲς εἶναι*; sed & exemplis liqueat, respectum non prædicamentalem non semper requirere realem, utriusq; termini existentiam, ita v. g. scientia de futura eclipsi dicit habitudinem realem ad illam, quamvis nondum existat. Quòd exemplum adeò clarum est, ut miremur *Zabarellam in sab. Logicæ* dicere, scientiam & scibile esse relata & simul, quando utrumq; eòdem entitatis gradu intelligitur, i. e., cū utrumq; de actu vel de potentia,

sentia, accipitur, non autem, quando alterutrum de po-
 tentia & alterum de actu capitur. Atq; ita relata sunt si-
 mul naturâ, & tempore. Superest, ut etiam ea cognitio-
 ne simul esse ostendamus. Ubi statim notandum venit
 discrimen inter cognitionem indefinitam confusamq;
 & definitam, sive distinctam; de hac enim, non de illa
 loqui Aristotelem autumamus, quod jungat relatorum
 esse *ἴσθηται* non *ἴσθηται*. Dd. Combricensis q. 3. cap. de
 relat. ita differunt. Afferimus ita concinnari posse, ut sit pro-
 prium quatuor modò, probabilisq; existimari posse, hanc fuisse
 Aristocelis mentem. Sic g. exponimus si unum relativum cogno-
 scitur, ut vera & realis essentia, necesse est alterum etiam cogno-
 sci concomitantè solùm, & tanquam purum terminum, non ve-
 rò ut causam & effectum, quò pacto excluduntur omnia non præ-
 dicamentalia. Nam prima conditio excludit relata rationis,
 quia carent verâ essentia, secunda rejicit transcendentia, quo-
 niam cognoscuntur ut causa vel effectus. Notitia autem hæc
 relatorum fit conceptu unicò, quò per se primò & in re-
 cto cognoscatur natura unius relativi, in obliquo autem
 & secundariò alterum sibi respondens. Consul: etiam
 Suarez disp. d. n. 30. & seqq. Objectiones verò varie
 afferuntur, dilucæ videantur apud Harold. canonicum
 lib. 1. can. 1. & 3. Huc pertinent seqq. & sim. lib. 2. cap. 1.

1. Positò relatorum unò, ponitur & alterum
2. Relatorum mutuum est uterque & alteri respondens
3. Relatum cognoscitur per se & alterum
4. Cognitio relatorum unò, cognoscitur & alterum &c.

Ax. V.

Relata à se mutuo dependent.

Duplex, inquit Roder. de Ariaga disputat. physico. 2. sect. 6.
 n. 881

n. 88. est dependentiæ; alia à priori, 'ut à causa vel conditione tenente se ex parte causa; altera à posteriori, ut ab eo sine quo non debetur conservatio. Utraq; autem hæc in axiom. nostro non attenditur. Alii alios dependentiæ modos afferunt. Ea, de qua nos agimus, dependentia consistit in eo, quod omne id, quod sunt relata, positum sit in respectu ad aliud, unde etiam græcis relata *κατὰ τὸ πρῶτον* appelluntur.

Ax. VI.

Fundamentum manet extinctis relationibus.

Testatur id quotidiana experientia: superstes homo est, qui Domini nomen habebat, ut ut servos nullos alat; manet lapis in agro, licet limitis officio non amplius fungatur. Sciendum tamen, regulam non esse universalem: fieri enim potest, ut unò eodemq; modò fundamenta unà cum suis relatis esse desinant. v. g. si pater & filius simul extinguantur. Hinc alii canonem limitatè h. m. proponunt: *Sape manent fundamenta extinctis relationibus.*

Ax. VII.

Relatio non incurrit in sensus.

Quod enim à nullo sensu percipitur, in nullum sensum incurrit: jam verò relatio talis est, quia nullius sensus objectum est. Ergo, non enim est sonus Ergo non auditus; non est color, Ergo non visus; non odor, ergo non odoratus; non sapor, ergo non gustus; non tactilis qualitas, Ergo non tactus. Debet autem prædicatum, intelligi de ejusmodi incurfu, qui per se fit: nam ex accidenti etiam relata in sensus incurere non est dubium. Ita v. g. Ecclesiæ minister incurrit in sensus ratione vestitus & habitus &c

S

Ax.

Actiones sunt singularium.

Alii ita: *actiones sunt suppositorum*; quod tamen non caret difficultate, quam, si priori modo prolatum, Canonem retinuerimus, effugere possumus. Suppositum enim secundum illos est individuum naturæ substantialis, Quis verò non videt calefactionem oriri à calore, frigectionem à frigore quorum neutrum tamen substantia, sed accidens est: quod dubium facile tollitur, si in locū suppositi. substituamus vocem singularium. Hæc n. non modò in substantiis; verùm etiã in accidentibus reperiri ex antepredicam. *Aristotelis* constat. Notandum autem regulam dupliciter explicari 1. singularia esse Causas actionum, 2. ea versari circa actiones, seu recipi in singularibus & in iisdem terminari. Priori sensu si accipiatur axioma, nō audemus illud *Aristot.* 1. *Met.* 6. 1. adscribere; quamvis neq; ipsi, neq; veritati adversetur; cum enim non universalia, sed sola singularia in rerum natura existant, velut *p. 2. disputat.* 3. ostendimus, utiq; & hæc sola agere necessum est. Quod aurem posteriorem explicationem attinet, videtur illa satis commodè ex textu elici; postquam enim dixerat, *πῶς πράξεις καὶ γενέσεις πῶς καὶ ἐκείων εἶναι* subijcit; *ἔστι δὲ ἀνθρώπων ὑγιάνειν ὁ δὲ ἀνθρώπων πῶς ἢ καὶ ἰσχυροῦς, ἀλλὰ καλλιαν, ἢ εὐκλείτην, ἢ τῶν ἄλλων πῶς ἔγωγε λογιζόμενον, ὅτι συμβέβηκεν ἀνθρώπῳ εἶναι.* Sunt qui nomine actionum intelligant actiones transientes: sed nimis angustè loqui videntur, Alii eas explicant de realibus, non de intentionalibus; verùm nec hos ad genuinum regulæ sensum accedere putamus: actus enim intelligendi realis actio est, quæ tamen non versatur

fatur circa singularia; sed universalia. Alii fortè aliter actiones exponunt. Nobis videtur veritati & proposito Philosophi convenientissima esse interpretatio *Petri Fonseca* in 1. Met. c. 1. q. 5. sect. 2. ubi docet, pronunciatum Aristotelis intelligendum esse de actionibus, qua non sunt cognitiones. Versatur autem ille, ut idem pluribus deducit, sect. 3. per se circa singularia. per se existentia idq; non modò tanquam circa subjecta, sed etiam tanquam circa terminos & objecta.

Ax. IX.

Actio & Passio non differunt realiter.

Multis hoc contra *Scoti* discipulos defendunt *Thomas*, qui videri possunt. Nos id in præsens saltem addimus, regulam accipiendam esse de actione & passione sibi invicem respondentibus s. proportionaliter inter se collatis. Nam si passio cum alia actione, quàm ea, à quâ infertur, comparetur, utiq; ab ea ut res diversa se juncta est. v. g. calefactio activa & passiva non differunt realiter: at calefactio & generatio realiter distincta esse nemo facillè inficias ibit.

Ax. X.

Actio & Passio recipiunt contraria.

Illæ scilicet, quæ qualitibus contrarietatem admittentibus debentur. Non igitur per se & primò, sed secundariò & per accidens ratione terminorum hanc ipsis affectionem tribuimus.

Ax. XI.

Actio & Passio suscipiunt magis & minus.

Dices, augmentationem & generationem esse
actio-

actiones, quæ tamen non intendantur & remittantur
 Resp. pronunciatum intelligendum esse de ijs actioni-
 bus & passionibus, quarum termini sunt qualitates in-
 tensionem & remissionem admittentes. Occurrit igitur
 hic eadem limitatio, quam in proximè superiori ex-
 gefi adduximus:

Supersum fortè quædam de *quando, ubi, seu habitu*
 axiomata; sed cum illa in disciplinis vel rariorem vel
 nullum usum præstare videantur, hic finem colle-
 gii nostri axiomatici facimus; tri-
 buentes

SOLI DEO GLORIAM.



11

